

# I. N. J.

## §. I.

**D**E concursu Causæ primæ cum secundis, quoad DEUS vires nobis concesserit, brevibus acturi, quid primæ, quid item secundæ causæ appellatione veniat, præmonendum omnino ducimus, cum hoc ignorato, concursum unius cum altera quoque ignorari, necesse sit.

§. 2. Quandoquidem autem terminus causæ tum primæ, tum secundæ in scholis philosophorum non uno captur modo, ab ambiguitate, qua premitur, prius liberandus erit, ne diversa vocis acceptio progredientibus nobis remoram injicere queat.

§. 3. Sumitur Ergo 1. *Causa prima* pro ea, quæ dicit ordinem & respectum ad aliam causam sequiorem, in eundem numero effectum, quamvis posterius, influentem: quâ ratione causa prima est, quæ primò effectum attingit, secunda quæ influxu hanc consequitur, & sicuterius. Hunc significatum si attendas, non solum causa prima & secunda; Sed & tertia, quarta, imo plures dabuntur causæ, cum multis causas ad eundem numero effectum concurrere, minime repugnet. Verum hanc nos acceptionem in præsentí negotio non facimus nostram. 2. *Causa prima* quandoque dicitur ea, quæ ut ut absolutè loquendo ab aliâ causâ priori dependeat, in certo tamen rerum genere, sub qua ea continetur, priorem non agnoscit, cuiusmodi in Oeconomicâ esse dicitur Paterfamilias. Secunda hoc modo erit,

4 2

quæ